

jussis, observantia regulari sese manciparunt. Ipse totius religionis probatissima margarita; Ipse lucerna ordinis, & stella in firmamento caeli: Ipse quasi sol resurgens sic effulgit in templo Dei, gentem multam liberavit a perditione, & prava- luit amplificare non civitatem unam, sed religionem, sed austeritatem, sed pietatem. Centum enim & sexaginta monasteriorum patet & fundator extitit. Hæc igitur cum ita sit, istam orationum panegyricarum tesseradecadem, in qua (ut de cæteris taceam) & illibata Virginis sanctæ Dei genitricis encomia, binis orationibus celebrantur; & Bernardi ab errore gravissimo vindiciæ tribus alijs exhibitionibus offerantur; quam vobis R^{di} Patres & Domini singularibus Sanctissimæ illius Virginis virginum cultoribus, quæ non ab heri & nudius tertius, sed ante annos quingentos electa est Cisterciensium patrona, mater, & advocata? Cui Bernardi vindicias æquius mittere possum quam Bernardinis? qui etsi non primam omnes originem suam Bernardo debeant, debent certè propagationem, debent profectum, debent splendorem. Accipite igitur, præter alia quæ hic deferuntur, Matris aliquas laudes, Filij; Advocatæ præconiæ, clientes; Bernardum ab errore purum, Bernardini: meque & illius tutelæ pridem commissum, & hujus tum doctrinæ tum pietatis amantissimum, vestris ac vestrorum ad illos orationibus habete commendatum, ut quamvis non professione, devotione tamen ac eruditione aliquando sim Bernardinus. Bene valete.

Duaci è Seminario Episcoporum provincie Cameracensis
14. Decemb. 1620.

ORATIO PRIMA DE ASSUMPTIONE

B. VIRGINIS DEIPARÆ.

Surge, propra amica mea, columba mea, formosa mea, & veni: Iam enim hyems transiit, imber abiit & recessit, Cant. 2.



Uti mensio peregrinationis hujus. itinere hyems præsentis vitæ transiret, imber nostræ mortalitatis abiret, jamque floribus è terra sponsi apparentibus, tempus putationis adesset, ut Beatissima Virgo Deipara vineæ florentis odorem, grossos verè vitis, fructus ligni vitæ perciperet; palamque videret in cælo per speciem, quod obscure viderat in mundo per fidem: colloquio (ut par est credere) discit Angelico desideratum tempus insulare quo transeat de hoc mundo ad filium, è peregrinatione ad patriam, è valle lachrymarum ad lætitiæ. Tunc ergo sponsi languens amore, cupiesque dissolvi, & esse cum Filio; pessulum ostij sui aperuit dilectio, sponsum venire gessientem invitavit loquens in corde suo; *Veni dilecte mi, veni dilecte*, educ me de mundo ut commorer in cælo; apprehende me, & duc me in domum patris tui ubi mansiones multa sunt. Nec mora. Ecce ipse venit saliens in montibus, transiliens colles; & qui requievit in tabernaculo ejus, dixit illi; *Surge, propra amica mea, columba mea, formosa mea: Amica propter charitatem, columba propter simplicitatem, formosa propter vestitum deauratum & varietatem virtutum quibus es circumamicta. O jucunda vocatio, & gloriosa prosecutio! Mater à filio vocatur ad gloriam: mater vocata procedit ad regnum. Quo ordine? quæ exultatione? qua gloria? Dicam, Auditores, si stella maris Maria no-*

A bis fulgente exigui temporis benevolam attentionem experiat.

Tempus quidem loquendi est omni carni, cum assumitur Incarnati Verbi mater in cælum: sed, sicut non est quod me magis delectet, sic nec est quod terreat magis, quam de gloria Virginis Mariæ habere sermonem: quia sicut de ejus gloria silere devotio non patitur, ita nec dignum aliquid sterilis cogitatio concipere, aut inerudita potest locutio parturire. Magna enim sunt & mentis humanæ cogitationes transcendentes, quæ pro Virginis gloria, divinitus celebrata sunt mysteria, Christi generationem, & Mariæ assumptionem quis enarrabit? ait Bern. Si enim illam cogitemus, quæ tamquam festivitatis objectum, cunctis est causa lætandi; Mater Dei est: quæ, (quod novum est super terram) virum circumdedit, utique non alium quam Deum, non alium quam cui nomen Oriens. Si consideremus comites: hi sunt Angelica turba calorum Si meditemur adstantes, Apostoli sunt constituti Principes super omnem terrâ. Si ad invitentem ac deducentem oculos conjiciamus; sponsum est, filius est, Deus est, qui & visibiliter ei fortassis apparuit, & (ut more humano caelestia delinect humana balbuties) sic eam affatus potest introduci; *Jam hyems transiit, imber abiit & recessit; Surge amica mea, formosa mea, & veni; Veni, inquam, electa mea, propra mater mea; quoniam tota pulchra es, & macula non est in te: veni receptura materni*

Sermo 4
de Assump.
supi.

Invita-
tur Ma-
ter a fi-
lio.

uteri